

LE
GRAND SCHISME
D'OCCIDENT

D'APRÈS LES DOCUMENTS CONTEMPORAINS
DÉPOSÉS AUX ARCHIVES SECRÈTES DU VATICAN.

PAR
M. l'abbé LOUIS GAYET
CHAPELAIN DE SAINT-LOUIS DES FRANÇAIS.

LES ORIGINES.
TOME I.

FLORENCE
LOESCHER ET SEEBER
Libraires-Editeurs.

BERLIN
S. CALVARY ET COMP^{ie}
Libraires-Editeurs.

1889.

(*hoc est falsissimum*) asserebat D. N. esse verissimum papam, et dixit quod unus eorum cardinalis, quem propter reverentiam non nominat, presente D. Johanne de Malestret juravit ad Sancta Dei Evangelia, exitens in camera sua, positis manibus super una cruce argentea, quod predictus D. Urbanus VI verus papa sicut S. Petrus unquam fuit, et quod aliqui, qui eum nitiebantur impugnare, fuerant magis voluntarii et principales ad ipsum eligendum.

Interrogatus si prece, pretio, amore, favore, odio, timore, rancore etc. supradicta deposuerit, dixit quod non, sed solum pro veritate a singula se referendo.

xx.

D. S. VI pag. 46.

Depositio inquisitoris Aragonie (Nicolas Eymeric).

1. Anno domini Millesimo CCC LXX VI circa finem augusti vel principium septembris, quo tempore b. m. Gregorius papa XI curiam transferre in Italiam disponebat, venerunt Avinione Lucas de Sabellis princeps romanus, et alias quidam ex parte et nomine comitatus Urbis ac civium romanorum, nuntii destinati ad antedictum D. N. papam, et hoc ad supplicandum, rogandum et instantum, nomine quo supra, apud eumdem, quatenus idem D. N. papa apud Romam transferret curiam, et in Roma ex tunc cum suorum DD. cardinalium collegio faceret residenciam personalem, pretendendo quod volebant deinceps papam presentem habere in Urbe, cum papa ipse romanus pontifex esset et talis et taliter ab omnibus christicolis communiter appellaretur, diceretur ac generaliter haberetur.

2. Et hoc dictus deponens illis diebus Avinione, pluries a pluribus audivit eosque vidit, et de hiis erat pro tunc publica vox et fama. Antedicti autem nuntii romanorum de facto supplicarunt et instarunt, ac demum protestati sunt eidem D. Gregorio, quantum cum suorum DD. cardinalium collegio Romam profisceretur, illuc curiam suam transferendo, alias eudem certificabant, nomine quo supra, quod ipsi romani providerent sibi de papa qui Rome moram et residentiam contraheret cum eisdem; et hoc audivit dictus deponens a pluribus, illis diebus, Avinione.

3. Postquam autem D. Gregorius papa Romam ivisset, ibique hyemasset et estivare propter aeris intemperiem extra Romam in civitate Anagnie cum DD. cardinalium collegio decrevisset, dubitatum multum exitit et a multis ultramontanis, et deponens ipse dubitantium unus fuit, quod romani non permetterent Urbem exire antefatum D. N. papam, nec, ut dicebatur, tunc utique permisissent, nisi quia idem D. Gregorius posuit personam suam in posse et manibus romanorum, certificando et promittendo eis, quod illa estate transacta, ad Urbem infallibiliter et protinus remearet. Et hoc dictus deponens, tunc Rome existens, audivit a pluribus sepe et sepius. Et nichilominus de hiis inter ultra tunc montanos erat publica vox et fama.

4. Remeato vero ad Urbem, estate transacta illa, circa festum S. Luce, D. Gregorio antelato, informati romani quod idem Gregorius cum foret in Anagnia inquire fecisset sibi et curie sue locum pro illo tunc sequenti hyeme congruum ad manendum, nec juxta volitum comperisset, propter quod ad Urbem rediisset, alias non facturus, firmaverunt sibi sermonem nequam, ut idem deponens audiret tunc ab ore hospitis sui romani Thome vocati, qui erat de consilio unus, quod non permetterent papam Urbem exire deinceps etiam in estate.

5. Processu itaque temporis, anno tamen eodem, in fine

mensis Januarii vel principio Februarii, insonuit in Urbe et potissime inter tunc ultramontanos publica vox et fama quod nonnulli romani voluerunt sibi et Urbi tribunum perficere in rectorem, et hoc ad finem, ut deponens ipse tunc Rome a pluribus audivit, quatenus oportunitate adepta, interficerent Ultramontanos et potissime DD. cardinales, hac, ut dicebatur, ex causa, ut pontifex romanus, in Roma cum romanis perpetuo remaneret. Quod cum, ut dicebatur, ad notitiam D. cardinalis Ambianensis pervenisset per quemdam romanum sibi familiarem, qui non assentiebat nephariis actibus predictorum, et consequenter ad notitiam Domini Guidonis de Pruinis senatoris Urbis, idem senator tractatorem principalem tanti sceleris palam et publice decapitavit, que justitie executio contra DD. cardinalium collegium et ultramontanos et presertim contra D. Ambianensem majoris odii fomitem ministravit.

6. Dum autem talia taliter se haberent, hospita quedam mulier domini tunc et nunc episcopi Vitensis in Cathalonia, pietate humana quadam ducta, dictum episcopum informavit, ut id deponens ab eodem plures illis diebus audivit, quatenus dominica carnisprivate, tunc proxime sequenti, quo romani consueverunt ex more exercere in monte vocato Testaxo ante sanctam Sabinam quoddam ludum silvestrum bestiarum, ad quod concurrit ex more magna populi multitudo, nullatenus procederet extra domum; cuius mulieris consilio D. dictus episcopus illa die domum non exivit, etiam nec deponens, tempore autem intermedio, inter verba mulieris predicte et dominicam memoratam, contigit quod est dictum, scilicet, quod vox insonuit de tribuno perficiendo, rumore subsequistro, collegio ultramontanorum DD. cardinalium perimendo et tractator trac-tati sed nondum perpetrati sceleris capite est punitus.

7. Universa et singula antedicta per romanos fiebant et facta sunt, ut illis diebus Rome inter ultramontanos erat pu-

blica vox et fama, ut romani ipsi per fas vel nephas tum suam curiam haberent in Urbe perpetuis temporibus residentem.

8. Anno vero Domini Millesimo Trecentesimo LXXVIII mense Martii, S. M. predicto D. Gregorio Rome viam universe carnis ingresso, romani, id quod conceperant de habendo semper papam in Urbe presentem, nisi sunt pro viribus deducere ad effectum. Nam tunc varia consilia in capitolio, ubi consueverunt majora Urbis negotia pertractare, pluries habuerunt super modo et forma, quibus possent semper Rome curiam retinere, in quibus consiliis concorditer concluserunt, quod aliis modus non erat nisi quod haberent pro tunc papam romanum vel saltem ytalicum, et quod ad id fiendum, nunc persuasionibus, nunc comminationibus, sic inducerent electores DD. cardinales, quod vi vel gratis haberent et cogerentur in papam eligere romanum vel ytalicum illa vice. Et in hoc recedit finale unanime et concorde totum consilium eorumdem, ut in Urbe generaliter inter clericos et laicos citra et ultramontanos erat illis diebus communis ac publica vox et fama. Et, ut Romani electores DD. cardinales imprimerent, et ad id cogerent quod est dictum, fecerunt idem romani que in sequentibus annotantur.

9. In primis romani habere voluerunt, et de facto habuerunt, custodiam pontium et portarum quibus transitur de Urbe ad burgum S. Petri, ubi erat palatum apostolicum, in quo erat de proximo romani pontificis electio celebra; que custodia pontium et portarum per gentes D. Gregorii et pro eodem in antea tenebatur. Quod romani faciebant ad finem, ut verisimiliter creditur et rei eventus docuit evidenter, quatenus eis romanis pateret ad locum electionis future liber aditus, et DD. cardinalibus electoribus non pateret ab Urbe egressus, sed cogerebant eligere ubi dictum est prius.

10. Secundo: Romani in quadam columpna lapidea sita in platea S. Petri posuerunt in alto securim, lignum, et alia in-

strumenta acomoda ad homines decapitandum et per omnis illos IX dies exequiarum D. Gregorii, inibi tenuerunt ad, ut presumitur, incutiendum timorem volentibus eos a suo concepto malo proposito impidere.

11. Tertio: Romani, de locis et villis extra Urbem, scilicet Urbis districtui subjectis, adduxerunt ac intrare Urbem fecerunt maximam rusticorum multitudinem armatorum in romanorum adjutorium et tutelam.

12. Quarto: Romani per edictum publicum, pena mortis vallatum, coegerunt omnis nobiles tam romanos quam non romanos et inter ceteros Comitem Fundorum et Comitem de Nola tunc in Urbe presentes, Urbem deserere et exire, ad finem, ut presumebatur et rei eventus demonstravit, ne electores DD. cardinales possent habere ab eis consilium vel juvamen, sed starent et remanserent precise in Romanorum potestate et arbitrio ac servitorum de quibus predictitur rusticorum.

13. Quinto: Romani per illos X dies post D. Gregorii obitum et ante romani pontificis electionem, tenuerunt continue plateam S. Petri armatis hinc et inde discurrentibus occupatam, ad finem ut terori et terorem.

14. Sexto: Romani per X dies predictos continue fecerunt discurrere, et cum eisdem discurrebant, rusticos antelatos per plateas et vicos principales Urbis, armatos lanceatos et scutatos, sonum facientes cum quibusdam instrumentis terribilem ad terrendum. Et hec omnia in sex proxime posita capitulis, deponens tunc continue et palam et publice audiebat, ac etiam vidit et consideravit facie *oculata?* illis diebus pluries et frequenter.

15. Septimo: Romani miserunt nonnullos, et inter ceteros priorem principalem carmelitarum romanorum, et eorum banderenses per se discurrerunt pro electores DD. cardinales, eos interdum seorsum in eorum domibus, eos interdum communiter in ecclesia S. Spiritus congregatos, rogantes, supplicantes, mo-

nentes ac etiam requirentes, comminationes mortis etiam addicentes, quatenus vellent sancto romano populo complacere in papam romanum vel saltem italicum eligendo; adjungentes, quod nisi facerent, non videbant ipsi proponentes, modum per quem possent electores ipsi DD. cardinales evitare grande et irreparabile periculum personarum, quia de hoc, ut dicebant, videbant populum dispositum et commotum. Et predicta audivit tunc in speciali a magistro tunc sacri palatii, ordinis predicatorum, nunc vero cardinalis S. Saturnini, et etiam a magistro Bartholomeo Peyroni ordinis carmelitarum, et alias tunc in Urbe, de hiis, illis diebus erat inter ultramontanos publica vox et fama.

16. Que antedicta omnia attendentes ipsi electores DD. cardinales, X^a die qua disposuerant intrare conclave, merito metuentes, et ubi erat timor, veracius trepidantes, intrare conclave prudentius distulerunt. Verum, cum banderenses ad se ad ecclesiam S. Spiritus convocassent, volentes eos advertere ab inceptis, eis inter cetera verbotenus indicentes, quod si eos compellerent ad eligendum hunc vel illum, taliter electus non esset verus papa. Ipsi banderenses fellito animo juraverunt tenere eos securos juxta capitulum: *Ubi majus.* In quorum iniquorum juramento, electores DD. cardinales, licet agendo simpliciter, confidentes ut bone fidei possessores, XI^a die hora vesperorum intraverunt conclave, antedicto juramento ducti pariter et seducti.

17. Tertia autem die predicta ante dictum ingressum conclave, hic deponens invenit penitentiarium Polonie, ordinis predicatorum, juxta pontem Beati Bartholomei, et cum fieret inter eos sermo: quomodo illa hora DD. cardinales differebant intrare conclave propter metum romanorum, penitentiarius huic deponenti respondit per hec verba: Ego infra Urbem in medio habito romanorum, et scio per eosdem, quod de certo in eorum consilio est conclusum, quod mox ut conclave fuerint ingressi, pulsetur ad martellum campana capitolii, ut pro rumore est in Urbe fieri

consuetum. Quodquidem dictum exposuit Domino de Aragonia hic deponens, et ut penitentarius predixerat sic evenit.

18. Anno vero eodem, die scilicet Mercurii, ab obitu D. Gregorii XI^a, que fuit VI mensis Aprilis hora vesperorum, conclave intrarunt, causa eligendi romanum pontificem electores DD. cardinales, qua hora hic deponens in domum se detrusit, nec inde illa die vel sequenti rumorem metuens exivit; libros et alia que habebat in conventu fratrum predicatorum Minerve posuit, et ibi ad fines conventus ubi erat ejus hospitium, clausus remansit; quare de hiis que fiebant circa et contra DD. cardinales in conclavi clausos breviter non vidit. Est verum quod habuit duos fratres ordinis sui ytalicos, scilicet, fratrem Anthonium et quemdam alium ciculos sibi familiares, quos misit ad palatium apostolicum ubi erant electores DD. cardinales, ut attenderent ad ea que fierent, et referrent; relatione quorum et aliorum qui viderant tunc, habuit que sequuntur.

19. Primo: Quod hora illa qua electores DD. cardinales accesserunt ad palatium apostolicum ut se clauderent in conclavi, platea S. Petri, quam idem DD. juxta conventionem factam cum banderensibus, credebant ab armatis vacuam reperiire, fuit tot armatis occupata, quod vix DD. potuerunt memoratum palatium apostolicum intrare.

20. Secundo: Ut idem DD. cardinales fuerunt conclave ingressi, romani armati, palatii fines frangentes, totum ipsum palatium abintus impleverunt et ab exterius circumdarunt.

21. Tertio: Quod sero eodem cum jam nonnulli DD. fuerint lectos ingressi, capitanei XV Urbis regionum, vim facientes, ad DD. cardinales intraverunt eosque rquisiverunt quod omnino populo romano complacerent in papam romanum vel saltem italicum eligendo, alias protestati sunt eis, quod non poterant ipsi DD. grande personarum periculum evitare.

22. Quarto: Quod DD. cardinales, licet obnoxius postularent,

non potuerunt a banderensibus impetrare, quod porta conclavis, ut est moris, muraretur, sed satis habuerunt facere, quod intraverunt, quod cum una barra lignea debiliter firmaretur.

23. Quinto: Quod romani intus et extra palatium existentes, tantum tumultum facientes, per totam noctem fecerunt, et tot vocibus invalescebant, et presertim qui sub conclavi erant, a sub tectum fustibus repercutiendo, quod vix DD. cardinales illa nocte sompnum capere valuerunt.

24. Sexto: Quod mane facto, cum electores DD. cardinales se ad missam de S. Spiritu disponerent celebrandam, quatenus eos Spiritus Sanctus dirigeret in agendis, campane S. Petri et campana capitolii ad martellum incepserunt pulsari, ut pro rumore in Urbe est fieri consuetum, quam pulsationem pertraxerunt quousque DD. eligerunt, quam pulsationem campanarum, et potissime capitolii idem deponens audiebat.

25. Septimo: Quod dum pulsarentur campane predicte, ut pro rumore, romanus populus tunc amplius concitatus, extra et intra palatium, vocibus invalescebant et clamando et vociferando: *Romano lo volemo, manco, manco italiano*, et eorum multi: Moriantur, moriantur nisi eligant romanum vel italicum; que verba, nonnulli janitorum, tam ultra qua citra montanorum, DD. cardinalibus tunc missam de Spiritu Sancto prosequenteribus, retulerunt, avisando eosdem: quod, nisi continuo et sine mora eligerent romanum vel italicum, interficerentur. Et tunc electores DD. cardinales hiis auditis, et aliis suprascriptis diligenter consideratis, condescenderunt, mortis metu, et ut mortem possent evadere, alias non facturi, in papam italicum nominare et ad Bareensem tunc archiepiscopum nominandum ex arupto, et quasi inconsiderate, mortis timore, ut predicitur, subito descenderunt, extimantes ipsum fore virum tante conscientie, et qui impressionem videbat, et stillum curie agnoscebat, et non acceptaret, et sic negotium differetur.

26. Octavo: quod eum idem DD. cardinales comedissent, nominatione predicta nondum romanis publicata, et quidam DD. cardinales in capella palatii sepedicti, aliis tribus adhuc ubi comedenter residentibus absentibus nec vocatis, tractarent quod noviter eligerent, cum nominationem predictam factam de Barensi archiepiscopo haberent nullam, utpote impressione factam, et diceretur ab eorum quibusdam, quod impressio cessaverat, aliis asserentibus quod adhuc perdurabat; romani informati quod DD. in papam elegerant italicum non romanum, gravius inflamati et amplius quam prius armati, vociferantes, portas conclavis fregerunt dicendo: *Romano lo volemo, romano lo volemo;* quorum metu DD. cardinales omnes ad capellam se retraxerunt precipiter, et clauerunt; cuius portas iidem romani cum secubibus in frustra illico constinderunt, propter quod idem DD. tunc se esse interficiendos credentes, se mortuos reputarunt.

27. Nono: Quod cum iidem DD. cardinales forent in tali mortis periculo constituti, unus Dominorum, et alii nonnulli qui cum eis aderant, volentes se et alias a tam gravi et grandi periculo liberare, finixerunt, romanisque dixerunt: quod de certo romanum eligerant, scilicet, D. cardinalem S. Petri, sed quod ille nolebat acceptare, et ideo quod eum inducerent ad acceptandum.

28. Decimo: Quod romani deceptores fuerunt tunc taliter decepti, quod crediderunt verbis eorum, et letati sunt, et ideo siluerunt; sed accesserunt ad dictum D. cardinalem S. Petri et involuntarium in una cathedra posuerunt, et ut papam sunt reveriti, ac ipsum penitus renitentem ad acceptandum papatum, pro viribus inducebant. Quibus deceptoribus sic deceptis, et in talibus obsequiis papalibus imprudentius occupatis, DD. cardinales, meliori modo quo potuerunt quidam eum, quidam sine pileis, atque capis, pedestres fere omnes exeuntes palatium evaserunt; ex quibus, sex ad habitationes proprias redierunt, sex ad castrum

S. Angeli pro tuitione sui se concluserunt, et IIII sero eodem extra Urbem ad quoddam fortalicium recurrerunt, videlicet, D. Jacobus de Ursinis, S. Eustachii, S. Angeli ac etiam Gebennensis, qui est hodie D. N. papa, et totam illam diem, vox intonuit in Urbe quod D. Cardinalis S. Petri erat papa.

29. Hec omnia supradicta audivit hic deponens a quam pluribus, illis diebus, et singulariter a predictis duobus fratribus italicis, qui omnibus, ut dicebant huic deponenti, interfuerant; et potissime et expressius, maxime que ad illa que facta sunt in conclavi interius, a D. decano Terraconensi qui fuit semper ibi intus cum D. cardinale de Aragonia, et de hiis erat illis diebus in Urbe communis et publica vox et fama tam inter romanos quam etiam non romanos.

30. Anno et die eisdem, circa secundam horam noctis, magister sacri Palatii, nunc vero cardinalis S. Saturnini, qui pre timore mortis ad conventum fratrum predicatorum Minerve se cum libris suis aliisque bonis die precedenti transtulerat, venit ad domum hujus deponentis, notificando eidem quod de certo Archiepiscopus Barensis erat papa, et idem fecit D. Petrus de Nuze auditor D. cardinalis de Aragonia, credentes complacere dicto deponenti, pro eo quod noverant quod idem deponens erat multum familiaris et amicus Barensi Archiepiscopo antedicto, de quorum verbis ipse deponens plurimum est letatus, reputabat enim eum bene provisum, postquam Domini non elegerant de se ipsis.

31. In crastinum vero scilicet die veneris, dictus deponens misit de mane quemdam familiarem suum ad plateam S. Petri, ut videret si adhuc ab et de armatis erat evacuata, et relato quod sic, hic deponens totus letus processit ad palatium apostolicum, causa eidem reverentiam exhibendi, et juxta palatium inventit idem deponens quemdam Thomam socium et familiarem dicti Barensis, qui causa eadem festinabat et per iter procedentes in-

venerunt armatos plures, portas palatii occupantes, et eis exposito quod erant papales, libere intraverunt, et tandem ad eumdem Barensim hic deponens pervenit, quem invenit in domibus superioribus palatii in quodam angulo cuiusdam deambulatorii seorsum, et tantum cum DD. cardinalibus Florentino et Mediolano. Et cum idem deponens ad eum accederet ipse Barensis ei gratulans dixit ei: O bene veneritis inquisitor; et cum deponens vellet procumbere ad osculandum sibi pedem, ille Barensis dixit ei: Non, non, nichil est factum adhuc, sed bene osculabor vos, et osculatus est hunc deponentem. Cernens autem hic deponens, quod nec ipse Barensis DD. cardinalibus antedictis, nec ipsi ei loquebantur, sed stabant quasi atoniti, accessit ad dictum Barensim, et incepit sibi loqui secrete de quadam materia, de qua multum amborum cordibus insidebat. At ille Barensis, eadem replicans ait: Adhuc nichil est factum, nichil est factum, nichil dicatis michi. Dumque starent ipsi quatuor antedicti, et unus alteri non daret verbum, ecce subintravit D. cardinalis de Majoris monasterio et dixit Barensi: Domini mei non possunt venire. Et ille: Quare non? Et hic: Quia non habent cappas. Et ille: Non habent cappas? veniant in roquetis, oportet quod veniant. Ad cuius verba nullus respondit. Interim intravit banderensis quidam, quem ipse deponens bene facie agnoscebat, et dixit eidem Barensi sicut D. cardinalis de Majoris monasterio verba consimilia in effectu. Tunc Barensis vocavit quosdam familiares dictorum cardinalium, qui in alio angulo dicti deambulatorii residabant, qui cum accessissent, ecce Barensis accipiens cappam unius dixit: Hec cappa erit bona pro uno cardinali, et idem dixit accipiens cappam trium vel quatuor, consequenter subjungens: Expolietis, expolietis cappas. Et convertens se ad banderensem predictum, ait ei: Aportetis eis istas cappas, veniant, veniant, oportet quod veniant. Et nullus sibi respondebat, neque cappa expoliabat, sed quilibet totus ut videbatur attonitus rem tacitus considerabat. Hiis sic peractis,

ipse Barensis clamavit: Est hic currens, veniat. Venit, et Barensis dixit ei: Vadas ad janitores, et manda eis, ex parte mei, quod nullum permittant intrare, nisi tantum cardinales. Videns autem hic deponens, quod nullus sibi respondebat, neque astantius unus alteri loquebatur, et quam plurimum admirans de verbis que dixerat ille Barensis, et adhuc dubitans de pejori, recessit.

32. Et ut postmodum intellexit, mane eodem coacti sunt ac violentati per banderenses, per ipsum Barensim missos, DD. cardinales XII, et qui erant in domibus eorum, et qui in castro S. Angeli latitabant, ad ipsum Barensim accedere, cum eo in palatio apostolico prandere, nominationem de eo factam presentare, ac hora vesperorum die eadem in ecclesia S. Petri intronizare, mandaverat eis per banderenses plures illo mane, et tunc audivit deponens ipse, quatenus ad eum venirent, scilicet, volebant majus periculum evitare quam passi fuerint paulo ante. Et ex tunc DD. cardinales in reverentiis et aliis eumdem ut papam palam et publice pertractarunt, et in die Pasche solemniter coronaverunt et qui loquitur ipse vidit.

33. Anno eodem, XI mensis Junii, ipse deponens recessit de Roma et venit Agnaniam ubi invenit omnes cardinales qui tunc ultramontani dicebantur, exceptis Ostiense et de Aragonia qui nondum venerant, et in tempore intermedio inter illius Barensis intronizationem et de istius deponentis de Roma egressionem, ipse deponens multum animo fluctuavit existens Rome, hesitans an ille Barensis esset papa propter ea que sequuntur.

34. Primo: Nam audiverat hic deponens Rome existens quod predicti IIII cardinales, qui Urbem fuerant egressi, nec interfuerunt antedictae intronizationi, scientes ipsum Barensim in domibus papalibus remansisse, postquam D. cardinales fuerant egressi conclave, ante ejus intronizationem mandaverunt sibi per quemdam, quatenus inde exiret, cum veraciter papa non esset, qui eis acquiescere contempserat sed remanserat.

35. Secundo: audiverat ipse deponens a magistro Bartholomeo Peyroni procuratorem ordinis carmelitarum, quod cum die veneris intronizationis, ipse Barensis ac etiam banderenses ducent DD. cardinales ad ecclesiam S. Petri ad intronizandum Barensim eumdem, Dominus de Agrifolio cardinalis secrete ac submisso dicebat eidem Barensi: Videte quid facitis, videte quid facitis. Quibus non obtantibus ipse Barensis extorsit ab eis quod eum inthronizarent.

36. Tertio: Vero die veneris sancta, ipso Barensi taliter intronizato, sed nondum coronato, ipse deponens cum haberet predicare coram eodem, hora consueta, accessit ad eum causa benedictionis habende, qua habita, cum idem deponens vellet sibi pedem osculari, ut est de more, ipse Barensis pedem retraxit neque permisit, quod fecit animum deponentis vacillare.

37. Quarto: Sabbato sancto Pasche, cum D. Dominicus Poncius procurator in ecclesia et hic deponens ad invicem loquerentur de electione facta seu nominatione de dicto Barensi, et de eo quod non permiserat osculari sibi pedem, causam inter se inquirentes, inter cetera D. Dominicus dixit huic deponenti hec verba vel similia in effectu: Aliqui Cathalani venerunt ad me facientes sibi conscientiam, si iste Dominus est papa, et rogaverunt me quod deberem loqui cum aliquibus cardinalibus, quod placeret eis tractare quod ipse resignaret jus, si quod haberet, et post quod ipsi reelegissent eum, ut secure omnis conscientie remanerent. Quid vobis videtur? Et ego respondens dixi ei: Credatis quod nec ipse resignaret, nec ipsi eum reelegirent; quare consulite quod dimittatis. Et disurrentes hanc materiam, conclusimus inter nos, quod ratione electionis facte cum impressione, ipse non erat papa; sed quia DD. cardinales videbantur eum habere pro papam, credendum erat seu presumendum, quod secrete reelegerant eum, et sic quod taceremus, nec peccabamus collegium immittando.

38. Quinto: Capdetus dictus notarius, seu scriptor auditor D. cardinalis de Agrifolio, loquebatur cum hoc deponente interdum cum essent vicini, de electione predicta facta de Barensi et in dubium verteretur, an ille esset papa nec ne. Quadam die, venit ad me hec deponentem et dixit: Ego interrogavi dominum meum cardinalem, si iste est papa, et vituperavit me dicens michi: Es tu bene bestia qui queris de istis. Et tunc idem deponens amplius dubitavit, suspicans quod D. cardinalis de Agrifolio sic dure respondisset, ut ille responsionem suam referret. Et sic negotium usque ad tempus palliare vellet, ne sibi et aliis periculum immineret.

39. Sexto: Nam ille Barensis in collationibus et in communib[us] colloquitionibus sepe et sepius se esse papam asserebat, quod romani alii pontifices sic agere non consueverant, et existimabat hic deponens, quod ideo faceret, ut crederet super illa homines dubitare.

40. Septimo: Quia ille Barensis quamdiu cum collegio DD. cardinalium in Roma fuit, licet supplications multas recepit, nullam tamen, ut dicebatur communiter, signavit, et, ut a quibusdam opinabatur, ideo faciebat quia conscientiam sibi faciebat.

41. Octavo: Quia cum ad procriptionem hujus deponentis D. Gregorius papa causam quandam fidei D. cardinali Mediolanensi commisisset, et ille ad certos actos processisset, postquam ad ejusdem deponentis procriptionem idem Barensis eamdem causam fidei eidem D. cardinali de novo commisit, nunquam in causa, dictus cardinalis procedere voluit, licet ipse deponens trac-taverit quod bis vel ter idem Barensis eidem cardinali imposuerit. Et cum ipse deponens instaret apud dictum D. cardinalem, quantum procederet, ipse D. cardinalis sic enigmate respondebat, quod hic deponens demum extimavit quod dictus cardinalis haberet conscientiam procedere, dubitando illum esse papam et commissionem nullam.

42. Nono: Cum dictus Barensis die quodam providisset de duabus ecclesiis, scilicet, Conchense et Gehennense vacantibus in Castella, et eadem die D. cardinalis Gebennensis nunc vero papa Clemens VII pranderet cum D. cardinale de Aragonia, et in collatione fieret sermo de provisionibus predictis illa die factis, dictus D. Gebennensis movendo caput alta voce omnibus et ipso deponente audientibus dixit ista verba: Provisiones, provisiones! Super quibus verbis D. Petrus de Nuce et D. Michael de S. Joanne auditores D. cardinalis de Aragonia et ipse deponens qui eadem audiverat, frequente conferebant, et inter se concludebant quod D. Gebennensis (1) crederet vel dubitaret illum Bareensem esse papam.

43. Decimo: Cum in festo beatorum apostolorum Philippi et Jacobi D. cardinalis predictus tunc Gebennensis haberet festum sui tituli, et esset in missa in ecclesia basilice XII apostolorum, et cum eo, DD. cardinales Ambianensis et de Aragonia, perfecta missa, hic deponens accessit ad eos tres supplicando quod loqui eis placeret dicto Barensi de quodam facto hunc deponentem contingente. Et mox Ambianensis, totus quasi inflammatus, alta voce respondit: Certe nec pro me, nec pro vobis, nec pro quocumque alio nunquam loquar sibi, quounque videam solem clarescere, eadem supplicando. De quibus verbis, alii duo DD. cardinales incepérunt ridere. Deponens vero tunc tacitus considerabat, et apud se concludebat, quod DD. cardinales aliquid circa illum Bareensem essent facturi.

44. Universa et singula antedicta ipse deponens conservabat conferens in corde suo, et tandem apud se animo concludebat ipsum non esse papam, propter quod ante festum Ascensionis Domini per aliquos dies, ipse deponens disceptabat omni fere die cum magistro Nicholao Musquini inquisitore Neapolitano ordinis

(1) Le copiste a évidemment oublié ici la négation.

Predicatorum, nunc vero anticardinale, qui illis diebus Rome in domo hujus deponentis manebat hoc deponente sustinente partem negativam quod scilicet Barensis, non erat papa, et ipso antedicto inquisitore sustinente affirmativam, quod ymo erat papa; et omni die in prandio et cena vix erat sermo inter eos nisi de hoc, ita ut interdum unus contre alium turbaretur, et quia erant ad invicem et ab antiquis temporibus bene amici, hic deponens sic confidenter loquebatur.

45. Consimiliter se habebat ipse deponens cum quodam fratre Dominico ordinis predictorum, qui tunc erat bacallarius in conventu Minerve, loquendo sepe et sepius cum eodem de materia antedicta, asserendo ipse deponens quod ille non erat papa, nec multum alias resistebat.

46. Demum cum dictus deponens super verbis que de hujusmodi materia habebat cum predictis, aliquando dubitaret pressertim propter quemdam fratrem Anthonium ciculum, qui fervore nimio romanos deffendebat et Bareensem, et quia fere omnis DD. cardinales ultramontani erant in Anagnia, de quibus firmiter tenebat ipse deponens quod Romam non reverterentur, decrevit Anagniam se transferre et mane quo debuit recedere perrexit ad ecclesiam S. Petri, pro reverentia ultima exhibenda, et invenit ibi magistrum sacri palatii ordinis predictorum nunc vero cardinalem S. Saturnini et dixit sibi: Magister, vultis aliquid mandare apud Anagniam, quia vado statim et veni ad recipiendum licentiam a beato Petro nunquam hue de cetero reversurus. Et cum ille dixisset: Et quare non expectatis? Ipse deponens respondit: Debeo collegium dimittere et cum homine, qui non est papa, hie Rome remanere? Tunc ille admirans ait: O Deus quomodo loquimini sic? Et deponens: Loquor quod verum est. Et ille: Per Deum, si ipse sciret quod vos loquerimini ita de eo ipse incarcaret vos. Et deponens: Certe vos dicistis verum, sed bene scio quod vos non dicetis, ego qui expendio me de

Roma; et tunc ipse deponens de Roma statim recessit. Et cum fuisset in ecclesia S. Johannis de Laterano, invenit hic deponens magistrum Bartholomeum Peyronis ordinis carmelitarum procuratorem qui dixit huic deponenti: Receditis? Cui cum hic deponens dixisset: Sic; alter subjunxit: Multum prudenter agitis, et cum hic deponens indegaret quare sic diceret, ille noluit ei amplius aperire nisi quod subjunxit: Grandia fient, omnino recedatis.

47. Qui deponens venit Anagniam ubi invenit omnes DD. cardinales ultramontanos, exceptis Dominis Ostiense et de Aragonia, qui ad paucos dies Anagniam supervenerunt, et cum quolibet horum seriose multum indegavit, et tunc negotium penetravit. Sed D. cardinalis Gebennensis, quodam die circa medium Julii, cum dictus deponens vellet ire Gayetam, dubitans de persona prout multi alii dubitabant, et peteret bulletum ab eodem, ipse D. Gebennensis, presente et audiente D. cardinale Ambianense, perfectius ei negotium declaravit, dicens huic deponenti: Non recedatis, nos declarabimus illum hominem qui est in Roma non esse papam, et portabitis declarationem regibus Portugalie et Castelle. Propter que verba, ipse deponens remansit, et facta declaratione, illam ad reges Castelle et Portugalie deportavit.

48. Hec sunt que ego Nicolaus Eymerici ordinis fratrum predicatorum, magister in theologia, in regnis et terris Illustrissimi principis D. Regis Aragonum inquisitor heretice pravitatis, deposui, et in mea conscientia vera esse credidi, vidi, audivi, prout supra exposui, et in testimonium veritatis, universa et singula antescrita manu mea propria ego scripsi.